

Fallacia est *dicti secundum quid*, major non est simpliciter vera, sed sic debet limitari & restringi: *O. jucundum quod simul est honestum, id est amplectendum.* Sed sic minor erit falsa. Non omnis enim voluptas sic est jucunda, ut simul sit honesta.

15. *Quod ego sum, tu non es:*

*At ego sum homo:*

*E. tu non es homo.*

Respondeo. Major est limitanda: quod ego sum, videlicet, *quoad individualia attributa*, id tu non es. Et sic minor erit falsa. *Vide pag. 107.*

16. *Quod non urit, non est verus ignis:*

*Ignis in fornace Babylonicâ, non ussit tres viros, Dan. 3. v. 22.*

*E. talis ignis non fuit verus ignis.*

Resp. Minor vera est tantum in *curso nature*. *Supernaturaliter* autem vis ignis à Deo impediri potest, ut quum sit verus ignis, tamen non urat. *Stablius Elench. c. 7.*

17. *O. Ens est verum:*

*O. Propositio est ens:*

*E. O. Propositio est vera.*

Resp.